

- 39 Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia epistulis Agricolae auctum, ut erat Domitiano moris, fronte
 2 laetus, pectore anxius excepit. inerat conscientia derisui
 fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per
 commercia, quorum habitus et crinis in captivorum speciem 5
 formarentur: at nunc veram magnamque victoriam tot mili-
 3 bus hostium caesis ingenti fama celebrari. id sibi maxime
 formidolosum, privati hominis nomen supra principem attolli:
 frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta,
 si militarem gloriam alius occuparet; cetera utcumque 10
 facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse.
 4 talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium
 erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit
 reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus
 languesceret: nam etiam tum Agricola Britanniam ob- 15
 tinebat.
- 40 Igitur triumphalia ornamenta et inlustris statuae honorem
 et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore
 cumulata, decerni in senatu iubet addique insuper opinio-
 nem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuum tum 20
 2 morte Atili Rufi consularis et maioribus reservatam. credi-
 dere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum
 ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse,
 cum eo praecepto ut, si in Britannia foret, traderentur;
 eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne 25
 appellato quidem eo ad Domitianum remeasse, sive verum
 istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est.
 3 tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam